FAVSTVM OMEN

Succreſcentibus in Parnaſſo Academico
Vere ineunte Surculis,

DVM

Eximiæ virtutis, & inſignis Eruditionis
VII. Iuuenes

AB

Excellentiſsimo, ac Doctiſsimo Domino,

M. VALENTINO IOANNE
MAZVRKOWIC,

Philoſ: Doctore, Florentiſsimæ Vniuerſitatis Cracouienſis inter Collegas Minores Profeſſore, Primâ Artium Liberalium & Philoſophiæ Laureâ

INSIGNIRENTVR.

Arridente ſereno Apolline

OBLATVM

ET

Ad Citharã eiuſdẽ cum votiuo applauſu, gratulationeq;

PER

V. D. MATTHÆVM IGNATIVM CLEMENT,
eiuſdem Laureæ Candidatum

DECANTATVM.

Anno quo

Rore LeVI MVsas ſegnIs fœCVnDat orIon. 1668

Nono Calendas Aprilis.

CRACOVIÆ,
In Officina Staniſlai Petricouij, S. R. M. Typogr.

IN STEMMA
Reuerendissimi & Perillustris Domini, D. IOANNIS BRVNETTI.



Astra serenatâ veniunt post nubila fronte
Horizon noster lumina TRINA tulit.
Res bona: num pluuijs hortos irrorat ORION?
Profert Pæstanas rore cadente ROSAS.
O Felix! BRVNETTVS claro lumine Musas
Irrigat, & crescit SVRCVLVS imbre suo.



Reuerendissimo ac Perillustri Domino,

D. IOANNI IACOBO BRVNETTI

I. V. DOCTORI
Protonotario Apostolico, Cathedralis Ecclesiæ Vratislauiensis ad S. Ioannem, & Collegiatarum ad S. Crucem Vratislauiæ, & S. Iacobum Nissæ
CANONICO
nec non
PRÆPOSITO
Opoliensi ad
S. Iacobum.

DOMINO.
Dño. Ac Patrono munificentissimo.



T ad TE pertinebat Reuerendissime, *ac* Perillustris Domine, *Labor hic infertili*

 PAR-

PARNASSO IAGELONICO ad laureas vſque exuberans, Orion ille Tuus felici aſpectu exoriens in hemiſphærio noſtro, ſicut Tibi ROSAS ad odorem, ita mihi contra quoſuis fulminantis fortunæ impetus ad præſidium parturire videtur laurum: Fuerit certè in præſagium publicæ Spei, Imperatoribus olim corona laurea ambitioſiùs expetita, quàm aurea; mihi, dum ſub felici Tui Gratioſi nominis Laureas literarum decerpere agredior, vt in Patrocinio Tuo & foueatur, & excreſcat, obnixè rogo fauoris Tui Fauonios amœnos aſpirare non dedigneris.

Reuerendiſſimæ ac Perilluſtris
Dominationis Veſtræ

Cliens æternùm deuotus

MATTHÆVS IGNATIVS CLEMENT,
Primæ Laureæ Candidatus.

Clariſsimo Sideri Poloni Orbis, ACADEMIÆ PRÆSIDI, PRÆSIDIOQVE SINGVLARI,

D. IOANNI CANTIO.

Vt novam in Panaſso Academico, Lectiſſimorum Surculorum foveat PLANTATIONEM.


Am concitatis vecta Fauonijs
Recens retectum Flora colit ſolum:
Aurata jam Cæleſtis Ariês
Cornua vere in eunte pictis,
Vincit corollis. Rumpite, rumpite
Tellurem in hortis nunc Academicis
Cælo ſati flores ſereno
Et placidas properate in auras:
Luciſque fructus tollite Publicæ.
FAVSTVM ſecundæ promit adoreæ
OMEN, ſerenus Sarmatarum
CANTIVS in regione Phanes.
Hoc ite læti ſidere Surculi,
In alta honorum culmina! vertice
Cedroſque Cupreſſoſque celſas
Tangite: fructiferaſque Moros.
Intaminatis vincite frugibus
Scientiarum. Vincite neſcias
Marcoris omnis, ſed virentes
Perpetuos Hederas in annos.

At Tu Lechæi præsidium soli,
Decus togati, lumen & inclytum
Cœtus! faue vultu sereno
O Craciæ Cynosura Stoæ
Beate CANTI. Tu Iagelonici
Vigilque custos, Præses & vnice
Apollo Parnassi, benigno
Rore Tui recrea fauoris,
Hanc Surculorum vere nouo satam
Plantationem. Da Pater optime
Ecclesiæ, caræque semper
Vt Patriæ bona fulcra crescant.
En supplicanti fronde suam Tibi
Testatur ultrò, [Diue parens vide]
Submissionem, proprijsque
En folijs Tua Busta lambunt.

Clarissimis ac Excellentissimis Dominis,

Clarißimo & Admod: Reverendo Dńo,

M. IOANNI MICHALSKI,
Philosophiæ Doctori, ac Professori, Collegæ Majori, & pro tempore Artisticæ Facultatis DECANO.

Clarißimo & Excellentißimo Domino,

M. IOANNI RĘKAWOWIC
Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio Professori, &c.

Excellen-

Excellentiſſimo ac Doctiſſimo Domino,

M. IOANNI GOSTVMIOWSKI

PHILOSOPHIÆ DOCTORI,

Collegæ Minori, Matheſeos Profeſſori Ordinario,

EXAMINATORIBVS DILIGENTISSIMIS.

NVnc nunc profundas eſt animus mihi
Luſtrâre mentes: currite Gratiæ,
Per ſacra pallentis Mineruæ
Atria: præcipitéſque docti
Laudum appetente, ſcandite, pectore,
Clivos honoris: quâ meritis graves
Anniſque, ſuccinctæque curis
Bella cient animæ: ac labori
Datæ erudito Laurigeros procul
Errant per hortos: Nobilis Iſtula
Polona diffuſus per arva
Cæruleas vbi volvit vndas.
Heû quæ docentum, conſpicio agmina!
Qualéſve cœtus! pars tacitam terunt
Libris ſenectam: pars apertis
Ingenij ſpatiantur arvis.
Hic arte pollens, hic rationibus,
Ardet diſertis ſe dare prælijs,
Verbiſque contudiſſe verba,
Viribus oppoſuiſſe vires.

At il-

Aſt ille celſi grande per ætheris
Æquor refertur: tum ſpatio brevi
Aulæ recurſus univerſos
Sidereæ ſubitò recenſet.
Vos vos frequentes quid memorem modo
Circi Stagyræ? judicio gravis
Quêis jura nunc ponit MICHALSKI
Socratici propior Magiſter,
Heréſque Ludi. Cuî ſua munera
Viſus dediſſe eſt Romuleæ parens
Suadæ; vnde ſemper promptus vltro, &
Egregijs animoſus auſis,
Pacata condit prælia, mutui
Amore Martis: jámque licet frequens
Inſultus altam pulſet arcem
Pectoris: intrepidúmque pugnæ,
Telorum abundans turba volantium,
Robur repertis mille periculis
Intendat: Is depellit hæc, non
Fulmineis violentus armis,
Sed membra tectus caſside Palladis.
Adverſa frangit, Quo Duce protinus
Fæcunda recti procreatrix
Inſcitiæ populata ſedes.
Abſiſte livor! non mihi carmine
Indictus iſto, quamlibet arduas
Paratus exantlare curas,
In ſtadio ſtudiorum abibis

O REKAWOWIC! addite cœtibus
Campo in Minervæ belligerantium,
Heróſque pugnacis palæſtræ
Doctiloquæ decus atque Stoæ.
Tibi Stagyræ vidi ego grandibus
Arſiſſe pugnis atria: porticus
Vndâſſe, jurgantiſque pulchrâ
Ingenij fremuiſſe rixâ.
Nec Te profundo pone ſilentio
Tranſire poſſum; quin meritas Tuo
O GOSTVMIOWSKI nunc labori
Sedulus accelerem coronas:
Quem non inanis plauſus inertibus
Attollit alis, vel vacuum ſui
Fucata per vulgi theatra
Turbo rapit popularis auræ.
Sed auſpicati Numinis impetu
Pergis quietis lætus Eteſijs,
Et grande conteſtari vbivis,
Non dubitas ſtudium Matheſis.
Vos ô Virorum ternio Nobilis!
Manet virentis gloria nominis
Vbique, nec ſecura falcem
Extimuit Lacheſis rapacem.
Nam fuſca nigris nomina Principum
Dantur ſepulchris. Vos toga Palladis
(Quâ noſtram honoraris juventam)
Æthereos vehit vſque ad ignes.

Excellentiſsimo ac Doctiſsimo Domino,

M. VALENTINO IOANNI MAZVRKOWICZ,

Philoſophiæ Doctori, & Profeſſori inter Collegas Minores,

nunc

PROMOTORI DIGNISSIMO,

Monumentum debitæ gratitudinis.

SIt fas veſtra mihi vulgare arcana per Orbem,
Pierides, penituſque ſacros recludere fontes:
Dum Vatem egregium celebri deſcribere laude
Eſt animus. Quis erit? qui laudis tractus amore
Auſit in acceſſas nobiſcum ſcandere rupes?
Lætæ vbi Caſtalides, citharâ dum pulcher Apollo
Perſonat, indulgent choreis, & carmina dicunt.
Vnus adeſt, qui nos ducit MAZVRKOVIC alta
Ad juga Muſarum: date candida lilia plenis
Aonides calathis, tantoque aſſurgite Vati:
Vnus hic ingenio Vates ſupereminet omnes.
O bona res! ſunt hæc felicia vota! Camœnæ
Percipiunt. Quem dum ſacratos ſcandere colles
Advertunt, ſubitò plenis in gaudia fibris
Soluuntur, chorus auditur, colleſque canoris
Plauſibus impulſi ſeptenâ voce reſultant.
Hoc carmen, plauſus, concentus, conſecrat iſtos
Turba nouena Tibi. Quid? non eſt digna triumphis?
Quæ micat ingenuo Tibi pulchra modeſtia vultu?

Et plau-

Et plauſu non digna ſacræ facundia linguæ?
Sæpe hanc Pernaſsi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor; cui ſunt faciles in carmina Muſæ,
Hoc tantum linguæ ſtudium, moremque loquendi
Pegaſides plaudendo probant, atque author Apollo:
Mente agitas Cælos, & quæ natura negabat
Viribus humanis, oculis ea pectoris hauris,
Et penitus nôſti chartis intentus inerras
Socraticis, veterum exploras opera inclyta vatum.
Sed quid magnificas narrando recenſeo laudes?
Lumine clara ſuo, externæ nil indiga lucis
Gloria Te ſequitur. Decus à Te Principe noſtrum
Omne venire equidem ſcimus. De gente trophæa
Suspendant alij; nos hæc vulgamus in orbem:
Te ſinè nil nobis pulchrum; omnes ora Latini
In Te, oculoſque ferunt verſi. Tua candida Virtus
Omnibus eſt cordi, Tibi in ardua quæque petenti
Ipſe ſuos animos, ſua munera lætus Apollo
Addidit, & variâ præſentem inſignijt arte.
Vni, multa Tibi debet, præclara Iuventus,
Quam modò Phœbæ à redimitam tempora lauro
Deducis ſacræ ſuper ardua culmina rupis.
O Decus eximium! lux ô clariſsima Vatum!
Te colimus, Tibi ſerta damus, Tibi thura, Tibi aras,
Et Tibi ritè ſacrum ſemper dicemus honorem.

I. V. R. IOANNI HROZNATÆ
PAWLIKIEWICZ,
Ordin: Præmonſtr: Canon:
PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATO.
SVRCVLVS CEDRI.

Cedrus eſt arbor procera, nec tamen oneroſa lignum iucundi odoris, & tineis imperuium, Surculum habet virentem ſignum Sapientis, iuxta illud:
Diſce & odoratam ſtabulis accendere Cedrum. *Virg. 2. Georg.*

Lemma. *Odore probatur.*

QVi flos ? quæ niueis arridet honoribus intra,
Lux Iagelonei culta vireta ſoli ?
Candidus Aonidum vitreas vel cygnus in vndas
Labitur Iſtuleis proximus ille vadis.
Lilia turrigero vel jam vicina Vavello,
Succreſcunt lucis nunc Academe Tuis ?
Vt ſimul & florem licet hic vidiſſe & olorem !
Vnicus heû candor condere quanta poteſt ?
Heſperidum Alcinoique procul procul eſte virores,
Nobiliore Craci ſorte, vireta nitent.
Relligio quem ſacra ſibi dum legit Alumnum,
Auſpicio facili Diue Roberte Tuo.
Hic prætextatos primum virtutibus annos
Morum maturâ veſtijt atque toga.
Poſt ubi Cæleſtis puriſſima dona Prometheus
Ignitæ mentis fecit aperta magis.
Ad fontem properat Diui Iagelonis apertum,
Munere, qui doctis totus inundat aquis.
Hic ſtetit anſatus eſt ? flos vernans an magè cygnus ?
Candore & morum ſuauis odore ſimul.
Aligerum comitem quis Te non dicat olorem ?
Qui pietate Tuâ ſidera celſa petis.
Quis niueis Tibi ſubriſiſſe albentia labris
Lilia ? qui totus candidus uſque manes.
O Flos ! ô celebris meritis præſtantibus ales !
Quod niueus nobis candor vbique probat.

Hæc e-

Hæc ego ſed Craciæ video diuerſa Camœnæ
Nomina promerito propoſuêre Tibi.
Surculus es cultis vernans Heliconis in hortis
Plantauit Diui quos Iagelonis opus.
Surculus es Cedri grauibus cui docta corymbis
Muſarum redimit tempora digna cohors,
Sic flore & Libani Cedros ſuperato virentes,
Semper PĄWLIKOVICZ candidus atque virens.

II. V.D. IOANNI FRANCISCO GOMVLCZYNSKI,

Mori Surculus.

Morus ex ſe ſerò emittit flores, & folia timeſcens ne frigore perimatur. Signum Sapientis.

Lemma. Differ habent paruæ commoda magna Moræ. *Ouid.*

FErtiles inter celebrata cætus
Arborum, quæ vel juga celſa Pindi
Rura vel doctæ tenuêre Cyrrhæ,
Optima Morus.
Vna graſſantis per amœna brumæ
Arva, laxatos ſapiens furores
Frangere & florem redimire certis
Fructibus hornum.
Creſce felici renouata vere
Prende Phœbeos Iagelonis hortos
Digna Parnaßo, viridiſq; Lauri
Munere Morus.
Hoc Tibi noſtræ reſonant Camœnæ
O GOMVLCZYNSKI: viet eruditas
Cujus in frontem dönidum virentes
Pallas honores.
Symbolum Morus Sapientis, an non
Ad Tui ſerpet ſatis applicatas:
Verticis cultum? Mora cuî ſophorum
Vnica Mores.

Hinc bonam Virtus Tua pollicetur
Nonnisi frugem : facilis Iuuentus
Cujus excelsa per acerba Mentis
Otia vitat.
Proferes fructus sapiens opimos
Arbor, insignes Heliconis arces
Occupans, doctis adamate Mori
Surcule Musis.

IV. V. D. CASIMIRO VENCESLAO STRASZYNSKI, Cant.

Surculus Lotos.

Lotos est talis arbor, quæ habet folia implicata ante solis ortum, adveniente autem miro virore recreatur. Signum sapientis, iuxta illud: *In spem baccarum florebit aquatica Lotos.*

Lemma. *Comes Apollinis.*

CVm sol Oceano subest,
Claram fronte sua prospiciens diem;
Lotos fidus Apollini
Surgenti subitò semper adest Comes:
Et quâcunque suos tulit
Arridens radios Cynthius orbitâ,
Semper nobilis institit
Hanc ipsam folijs Surculus obuijs.
Quo Te Castalij decus,
Et Lux clara chori, quo mea nominet,
Florens Melpomene magis
STRASZYNSKI elogio? judicij jubar
Admirata Tui satis
Accensum studijs nobilioribus.
Verè Laurigeri feret
Te fidum comitem semper Apollinis.
Qui nunc vere nouo sacra
Parnassi Cracici sponte colis juga:
Phœbeasque in eis celer

Decer-

Decerpsisse cupis munera laureæ.
Ergo doctiloquo precor
Plus vltra stadio curre, sequacibu
Phœbum concilians Tibi
Semper luminibus. Quo Duce maxima
Doctis munera mentibus
Obuenisse solent. Hæc Tibi cum suo
Iam nunc accumulat sinu
Claris Alma Parens fœta Quiritibus;
Tu post bacciferos Tui
Ornatus capitis, quid nisi maximis
Florens auctus honoribus,
Tolles promeritam laudis adoream?
Fiet veridicus meis
Hæc oracla canit Phœbus in auribus:
Fiet Pieridum chorus
Hæc pandit resonis omina canticis.

V. V. D. FRANCISCO ANTONIO TOKARSKI, Cant:

Surculus Cupressi.

Cupressus nunquam amittit viriditatem. Alciat: *hinc*
Lemma. Virore fœcunda.

Q*Vid hæc Cupressus, triste bustorum decus*
Portendit? an mortes? an infausta indicat
Sepulchra? minimè: surculum viridem notat,
Qui satus in hortis inq; fæcundo Craci
Solo virescit, vt cupressus ardua
Semper. Fac age jam frende redimito Tuas
Apollinari Docte TOKASKI comas;
Nunc erudita si viret virtus Tua
Magis virescet: verticem quando premet
Amica Musis Laurus æternùm Tuis.

VI. V. D.

VI. V.D. ALBERTO FRANCISCO SCHOLTYSKIEWICZ, Cant.

Surculus Hederæ.

Lemma. *Inter victrices hederam tibi serpere Lauros.* Virgil.

QVis quis sacratæ culmina Palladis,
Quis quis virentis diuitias cupis
Lustrare collis, quem Camœnæ
Pieridumque Pater sororum.
Regit; reflectas huc tua lumina
Quæ sint Sophorum deliciæ scies,
Dum Surculum hunc circumfluentem
Castalijs opibus videbis.
Musæ dederunt credo Tibi sua
O SCHOLKIKIEWICZ munera, Apollinem
Lyrasque Parnassumq; credo
In Tua pectora transtulisse:
Nam prodit istas diuitias Tuum
Quod sæpe cantas Threicium melos,
Opesque profert eloquenti
Sermo Tuus fluitans ab ore.
Ne desit ullum Surcule vertici
Decus, virentem prendito Lauream,
Quam texuit Tibi vniuersus
Culmine in Aonio Senatus.
Tum deinde plaudent Craciadum Tibi
Musæ, & rigabunt frondiferum caput
Florescat vt diu, vtque longo
Frons hederata virescat ævo.

VII. V.D. PAVLO GAIETIO,

Surculus Palmæ.

Influxus Lunæ frondes, & omnia humifico spiritu laxat. Plin: lib: 2. Nat: Hist: cap: 99. & 101. Hinc alluditur ad stemma sui Patroni, in quo tres Lunæ conspiciuntur.

Lemma.

Lemma. Hac rigante crescit.

SVrcule non pridem Cracias es latus ad oras,
In Cracia haud pridem Surcule viuis homo:
Iámque leues vibras palmæ crescentis in auras
Ramos, jam creuit Laurea prima Tibi.
Cælica Doctorum reseras jam dicta Sophorum,
Exseris & sólers Palladis ingenium.
Vendicat ipsa Tibi dulcis facundia PALMAM,
Prodit ab exultis gratia viua labris.
Castaliæ arcanum nobis reserate Camœnæ,
Floridus atque recens Surculus vnde venit?
Creuerat haud mirum quod tam citò Surculus iste,
Nam rigat hunc fluxu Cynthia trina suo.

Reverendo ac Venerabili Domino,
MATTHÆO IGNATIO
CLEMENT,
ejusdem Laureæ Candidato, Amoris & observantiæ ergò offert
V. D. PAVLVS GAIETIVS.

HVc apta lætis otia serpite
Musis, amœni Pieridum chori
Adeste, suaves Gratiæ adsint,
Castalidúmque decus sororum
Apollo. Flores quærite, carpite
Frondes, coronas, sertáque myrtea
Parate Musæ, Vere pulchro
Cingite tempora, rore pulchro

Rigate, rursus cingite laureâ
Virente frontem. Tendite barbita
Desveta pridem, concitate, &
Sollicitate helyn sorores.
Nam digna tantis plausibus est tua
Doctrina CLEMENT, dignus Horatij
Est laude versus, sermo cultus
Dignus Apollinis est honore.
Sed quid? coronam non meruit lyra
Quâ Tu Tuorum corda sodalium
Mulces. Triumphali Camœnæ
Hócce caput redimite lauro.
Quam musa laurum texuit, accipe,
Horatianóque insere vertici,
Sic laureatum Te necesse est,
Carmine quisque probet Poëtam.





Sub felicibus auſpicijs

Magnifici, Perilluſtris, & Admodum Reuerendi

DOMINI,

D. ALBERTI LANCVCKI

I. V. Doctoris, & Profeſſoris, Archidiaconi Pilecenſis, Cancellarij SS. Omnium, S. Michaëlis in Arce Cracouienſi Canonici, Vniuerſitatis Crac: ſtudij Generalis

RECTORIS.




BIBL'OTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS